

ARMAND MAURER

PROFESSEUR AU PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES DE TORONTO

SIGER DE BRABANT

*Siger, of Brabant...*QUAESTIONES
IN METAPHYSICAM

TEXTE INÉDIT DE LA REPORTATION DE CAMBRIDGE

ÉDITION REVUE DE LA REPORTATION DE PARIS

LOUVAIN-LA-NEUVE

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE

1983

QUAESTIO <9>

UTRUM OMNIA DE NECESSITATE EVENIANT

Et ideo hic quaeritur utrum omnia de necessitate eveniant, sic quod quaecumque sunt vel fuerunt necessario futura essent, et quaecumque
5 futura sunt necessario evenient.

Et quod sic videtur, quia omnis effectus necessario evenit ab aliqua causa respectu cuius esse suum est necessarium secundum AVICENNAM. Et visum est superius quod, quamvis aliqua causa possit impedi a productione effectus, a causa tamen existente sub tali dispositione, scilicet quod
10 non sit impedita, de necessitate provenit effectus. Et causa illa, ut sub tali dispositione existens, est effectus alicuius causae respectu cuius est necessarium suum esse, et illa adhuc alterius, et sic usque ad Causam primam; quod si Causa prima de necessitate sit, ex connexione causarum sequitur quod omnia de necessitate eveniunt.

15 Et declaratur ratio quia, si non omnia de necessitate eveniant, hoc est quia aliquorum sunt causae ut in pluribus quae natae sunt impedi. Sed adhuc causae illae, existentes sub tali dispositione quod non impeditae, de necessitate producant effectum. Et illae causae, existentes sub tali dispositione, effectus sunt alicuius alterius causae quae, existens sub tali
20 dispositione quod non impedita, de necessitate producit effectum. Et illius causae est accipere aliam causam, et sic semper quousque deveniatur ad Causam primam quae, cum de necessitate sit, et omnes effectus de necessitate evenient.

2 Item, sit *b* aliquis effectus futurus: *b* igitur in praesentibus habet
25 causam. Aut igitur habet <causam> cum impedimento aut sine. Si cum impedimento, tunc non erit; positum autem est ipsum fore. Si sine impedimento, tunc arguitur: Omnis effectus qui fiet in praesentibus habens causam non impeditam, de necessitate fiet; *b* autem effectus est

15 declaratur] delectatur *scr. sed exp. et marg. corr.* 16 natae] nata *scr.* 17 impeditae] impediende *scr. sed corr.*

1 Cette question a été éditée par J.J. DUIN, *La doctrine de la providence* ... p. 99-111; aussi par A. MAURER, *Siger of Brabant's De necessitate* ... (1952), p. 54-60. Cf. SIGERUS DE BRABANTIA, *De necessitate et contingentia causarum*; ed. DUIN, *ibid.*, p. 14-44; *Impossibilia*, V; ed. BAZÁN, p. 86-92; *Quaestiones in Physicam*, II, q. 9-13; ed. ZIMMERMANN, p. 162-171.

3 ARISTOTELES, *Metaph.*, VI, 3 (1027 a 29).

7 AVICENNA, *Metaph.*, tr. I, c. 6, p. 45, l. 59 - p. 46, l. 71.

8 superius: cf. *supra*, q. 6.

talīs; ergo *b* de necessitate fiet. Et sic arguetur de quocumque effectu futuro.

3 Item, per ARISTOTELEM hic. Quando alicuius effectus futuri praesens est aliqua causa quae non est nata recipere impedimentum, effectus ille de necessitate eveniet: ut, quia istud vivum compositum est ex contrariis, de necessitate morietur. Nunc autem omnis effectus futurus in praesentibus habet causam quae non est nata est recipere impedimentum, scilicet providentiam divinam. Omnes enim effectus a Deo provisi sunt, et non potest a sua providentia frustrari, tum quia nihil ei accidit, tum quia causa quae subiaceret impediēdis non est totum ordinans; ipse autem est totum ordinans. Quare etc.

4 Item, hoc apparet auctoritate BOETHII libro *De consolatione*. Dicit enim quod fatum «ab immobilis providentiae proficiscens exordiis, actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexionē constringit». Unde secundum ipsum ipsa connexio causarum in entibus explet providentiam divinam. Et cum providentia divina falli non possit, nec ipsa connexio causarum falli poterit.

5 Item, hoc idem arguitur ex providentia divina. Sequitur enim, supposito quod *a* sit aliquis effectus futurus et praescitus sit a Deo, si *a* est praescitum, de necessitate eveniet: quodcumque enim in aliquo condicionali antecedens necessarium est et consequentia necessaria, consequens erit necessarium; sic autem est in proposito. Quare etc.

Oppositum vult hic COMMENTATOR. Dicit enim quod omnia esse talia quod necessarium esset ea fore antequam fierent contra sensum est et intellectum. Nec est sicut in Exemplis Legalibus dictum est, quod omnia scripta sunt in tabula, et quaecumque scripta sunt ibi necesse est venire ad actum.

Item, hoc idem vult ARISTOTELES hic. Dicit enim quod, quamvis iste necessario moriturus sit quia compositus est ex contrariis, non tamen est aliquid factum praesentialiter quo moriturus sit necessario violentia vel infirmitate, ut si iste nunc comederit mordicantia quae sint causa sitis, sitis autem sit causa exitus a domo, et exitus a domo sit causa quod

59 infirmitate] utilitate *scr.* 61 occurrat] concurrat *scr. sed exp. et marg. corr.*

31 ARISTOTELES, *Metaph.*, VI, 3 (1027 a 7-10).

40 BOETHIUS, *De consolatione philosophiae*, IV, prosa 6, n. 19; C.S.E.L., 67, p. 98, l. 11-14.

51 AVERROES, *Metaph.*, VI, com. 7 (fol. 151 B-C). Siger explique que les *Exempla legalia* correspondent à la divine Providence ou au Livre de vie. Cf. *De necessitate et contingentia causarum*, ed. DUIN, p. 41, l. 1-4.

56 ARISTOTELES, *Metaph.*, VI, 3 (1027 b 1-11).

occurrat latronibus et ab eis interficiatur; vel si exitus a domo sit causa quod intret aestum et febricitet et inde moriatur. Est intentio ARISTOTELIS hic quod, quamvis ita contingat, non tamen ex hoc quod nunc comedit mordicantia, de necessitate sic vel sic morietur: tunc enim quodcumque contingeret haec causa, de necessitate eveniret effectus; quod non est verum.

Item, hoc idem intendit ARISTOTELES in fine I' *Perihermenias*. Vult enim quod in contingentibus in altera parte contradictionis de futuro non est veritas: ut non est verum dicere quod navale bellum erit cras, vel quod navale bellum non erit | cras; sed navale bellum fore cras vel non fore cras est verum. Qualitercumque autem necessarium esset navale bellum fore cras, sive ex causa sua particulari non impedita, sive ex connexionē omnium causarum in entibus, dum tamen necessarium esset veritas in ista parte determinate, navale bellum erit cras. Quare, si ARISTOTELES hoc non concludat, certum est de intentione sua esse quod effectus contingentes futuri, nec per comparisonem ad suas causas particulares, nec per comparisonem ad totam connexionem causarum in entibus, necessario eveniant.

Item, omnes effectus de necessitate evenire tollit arbitrii libertatem, tollit punitiones actuum malorum debere fieri, retrahit etiam ab actibus bonis. Quod si haec omnia catholicae fidei contradicunt, et cum hoc intentioni ARISTOTELIS, non est ponendum omnia de necessitate evenire.

Ad hoc primo intelligendum est quod necessitas est impossibilitas quaedam aliter se habendi. Hoc autem est immobilitas quaedam. Immobilitas autem est aeternitas quaedam. Et ideo sicut aliquid est immobile et aeternum, ita est necessarium, et e converso.

Necessitas autem diversimode reperitur in diversis. Primo enim invenitur in separatis. Unde, quia ipsa omnia et secundum quamlibet dispositionem immobilia sunt et aeterna, ideo omnino sunt necessaria; tamen in eis est aliquid primo necessarium, non habens causam suae necessitatis, cuiusmodi est Ens primum. Aliae autem substantiae separatae ab ipso habent causam suae necessitatis.

Consequenter autem caelestia corpora, quia quantum ad substantias suas immobilia sunt et aeterna, ideo ut sic sunt necessaria. In motu tamen

63 ita] *interl.* quod²] *interl.* 64 sic²] *interl.* 72 connexionē] congregatione
scr. sed exp. et marg. corr. 74 quare] quia *scr.* 79 tollit] callio *scr. sed exp.*
et marg. corr. 80 tollit] tollet *scr.* 82 omnia] *marg.* 93 quantum] *marg.*

62 *Ibid.*

67 ARISTOTELES, *Periherm.*, I, 9 (19 a 22 - b 4).

eorum invenitur immobilitas quaedam et impossibilitas aliter se habendi, inquantum semper eodem modo moventur.

Consequenter autem in istis inferioribus inveniuntur quaedam causae quae semper effectum suum producant et semper eodem modo operantur. Et haec immobilitas in eis est inquantum, ipsis positis, necessario ponitur effectus, ut natae sunt <non> impediri ab effectu: ut viventem fore moriturum necessario. In vivente enim est causa, scilicet compositio ex contrariis, quae immobilis est et impossibilis aliter se habere, ad hoc quod producat effectum, scilicet mortem.

Consequenter in his inferioribus inveniuntur aliae causae quae secundum se acceptae mobiles sunt ad hoc quod producant effectum et possibiles aliter se habere. Ipsae tamen, acceptae ut sub defectu impedi-
menti, immobiliter effectum producant: ut quamvis ex comestione veneni non de necessitate sequatur mors, tamen ex comestione veneni, ut accepta cum absentia medicamenti, de necessitate sequitur mors. Et ita causa ista quandam immobilitatem et etiam quandam necessitatem habet ad effectum. Propter quod universaliter vera est propositio AVICENNAE, scilicet quod omnis causa existens in dispositione in qua nata est producere effectum, de necessitate producit effectum. Hoc autem intendit ARISTOTELES, VIII^o *Physicorum*, quod quando movens est in dispositione in qua natum est movere, et mobile in dispositione in qua natum est moveri, oportet hoc movere, illud autem moveri; immo nisi ita esset, agentia ut in pluribus numquam producerent suos effectus.

His suppositis, dico ad quaestionem quod, referendo aliquem effectum futurum ad causam ut in pluribus, sive secundum se et absolute acceptum, sive sub privatione impedi-
menti acceptum, non est necessarium | fore effectum eius. Ostensum enim est quod necessarium esse est immobile esse et impossibile aliter se habere.

Item, aliquid quod non movetur quia non est praesens movens, non ideo immobile est; quoniam si solum mobile esset quando esset praesens movens, cum tunc actu moveatur, tunc solum mobile esset cum actu moveretur; et ita non esset ponere aliquam potentiam nisi actui coniunc-

7 quamvis] quod quam *scr. sed exp. et marg. corr.* 10 immobilitatem] immobilem *scr. sed exp. et marg. corr.* 15 natum¹] nata *scr.* 18 suppositis] sumptis *scr. sed marg. corr.* 21 est¹] *marg. sup.* 23 aliquid] potest *add. et exp.* non²] semper *scr. sed exp. et interl. corr.* 24 mobile] immobile *scr.*

11 AVICENNA, *Metaph.*, tr. I, c. 6, p. 45, l. 59 - p. 46, l. 71. Cf. ALGAZEL, *Metaph.*, I, 7; ed. MUCKLE, p. 45, l. 26 - p. 46, l. 5.

14 ARISTOTELES, *Phys.*, VIII, 3 (251 b 1-10). 1

tam, sicut MEGARICI posuerunt, quos reprobatur ARISTOTELES in IX^o *huius*. Ex quo arguo sic. Effectus non provenit necessario ex causa sua nisi cum causa immobilis est ad effectum. Sed causa ut in pluribus, accepta ut sub defectu impedi-
menti, quamvis non impediatur, non tamen est immobilis illo motu. Quod enim aliquid non moveatur propter absentiam moventis, hoc non dat ei rationem immobilis. Quod igitur evenit a causa ut in pluribus, accepta ut sub defectu impedi-
menti, non provenit ab ea necessario.

Sed istud videtur repugnare praedictis. Nam dictum est quod causa ut in pluribus, accepta ut sub absentia impedi-
menti, semper producit effectum. Sempiternitas autem quaedam immobilitas est et necessitas. Est igitur quaedam immobilitas huius causae non impeditae ad effectum.

Dico ad hoc quod ex ista immobilitate huius causae ad effectum non dicimus absolute quod effectus eius necessario futurus est, sed quod necessario futurum est contingenter; nec est oppositio in adiecto, quia contingentia hic accepta non opponitur necessitati hic acceptae. Necessitas enim consistit in hoc quod causa non impedita semper producit effectum. Ex hoc est quod semper effectus sic provenit ex causa sic se habente. Contingentia autem in hoc consistit, quod causa ista sic se habens semper impedi-
bilis est. Ex hoc enim quod non impedita propter privationem impedi-
entis non habet rationem non impedi-
bilis, sicut mobile propter privationem moventis non habet rationem immobilis.

Item, quamvis ex causa non impedita provenit effectus, ex causa tamen non impedita non de necessitate provenit effectus, sicut dicit ARISTOTELES fine I^o *Perihermenias*, quod omne quod est, quando est, necesse est esse; non tamen omne quod est necesse est esse.

Ex his igitur patet quod valde refert dicere effectum aliquem evenire a causa non impedi-
bili et a causa non impedita. Si etiam utrobique sit immobilitas et necessitas quaedam causae ad effectum, multum refert haec et illa, nam una est necessitas absoluta, alia autem condicionata. Unde, si omnes effectus provenirent a causis non impedi-
bilibus, tollere-
tur libertas arbitrii et punitiones malorum actuum, et nihil valeret auxiliari neque negotiari; effectus tamen evenire a causis non impeditis

30 immobilis] *marg.* 33 defectu] effectu *scr. sed corr.* ea] eo *scr.* 36 producit] proficit *scr. sed corr.* 40 dicimus] dicens *scr. sed exp. et marg. corr.* 43 enim] quae *add.* 47 impedi-
entis] impedi-
entis *scr. sed corr.* 49 non] *marg.* 50 non¹] *marg.* 59 tamen] non *add.*

27 ARISTOTELES, *Metaph.*, IX, 3 (1046 b 28-31).

51 ARISTOTELES, *Periherm.*, I, 9 (19 a 23).

non tollit aliquod istorum. Quamvis enim aliquotiens ex comestione
 veneni non impedita inducta sit mors, non propter hoc dimittit medicus
 consiliari, ut apponat medicamentum contra comestionem veneni.
 Quamvis enim ipsa, quando non impedita est, necessario inducat
 mortem, est tamen impedibilis. Et ideo alia est necessitas causae non
 impedibilis ad suum effectum et causae non impeditae ad suum effectum.

Unde propter indistinctionem huius necessitatis ad illam vidi diversos
 incidere in diversos errores. Quidam enim credentes omnium causarum
 ad suos effectus esse consimilem necessitatem, ne viderentur tollere
 f. 93^{va} libertatem arbitrii et alia superius enumerata, negaverunt hanc | proposi-
 tionem: Causa existens in dispositione in qua nata est effectum produ-
 cere, de necessitate producit, quae tamen manifestissime vera est. Alii
 autem propositionem istam credentes, cum hoc quod non distinguebant
 inter necessitates causarum ad effectus, in hanc haeresim inciderunt,
 quod negabant libertatem arbitrii et punitiones malorum actuum, peni-
 tus retrahentes se ab actibus bonis, quia dicebant in praesentibus deter-
 minatum esse si deberent damnari vel non.

Ad ampliorem autem veritatis manifestationem circa praedictum
 axioma difficile, sex distincte considerata sunt.

Primum est quod, si attendamus ad causas effectuum futurorum,
 invenimus quaedam a causis suis procedere tripliciter. Quaedam enim
 procedunt a causa necessaria simpliciter, in cuius natura non est reperire
 impedimentum, ut viventem fore moriturum. Alia autem procedunt a
 causis ut in pluribus, quibus positus, non semper ponitur effectus, quia
 causae in natura sua natae sunt recipere impedimentum, sicut comestio
 veneni est causa mortis. Alia autem sunt quae nec procedunt ab hac
 causa nec ab illa, sed solum a causa per accidens, ut quod agens
 contrarium, potentius existens, faciat deficere agens ut in pluribus ab
 effectu intento. Hoc quidem facit non per se sed per accidens, inquantum

61 mors] modis scr. sed exp. et marg. corr. 63 quando non] quantum ad scr. sed
 exp. et marg. corr. 67 Quidam] quodam scr. sed exp. et marg. corr.

67 Quidam: peut-être Gauthier de Bruges. Cf. É. LONGPRÉ, *Les Quaestiones disputatae de Gauthier de Bruges*, q. 4, p. 40. Gauthier ne niait pas la validité de cette proposition dans le cas des causes naturelles, mais dans le cas de la volonté: cf. O. LOTTIN, *Psychologie et morale* ..., I, p. 243-247. Gérard d'Abbeville, comme Gauthier, insistait sur l'indépendance de la volonté: cf. O. LOTTIN, *ibid.*, p. 247-251. La proposition en question, appliquée à la volonté humaine, a été condamnée en 1277 par l'évêque de Paris, Étienne Tempier: «Quod voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moveri et manente sic disposito quod natum est movere, impossibile est voluntatem non velle». Cf. *Chart. Univ. Paris*, ed. H. DENIFLE et E. CHATELAIN, I, p. 551, n. 131; R. HISSETTE, *Enquête* ..., p. 251-253.

accidit indispositionem materiae quam causat occurrere agenti ut in
 pluribus. Isto triplici modo quicumque effectus futuri a causa tali vel tali
 procedunt.

Secundo considerandum est unum commune omnibus istis causis,
 scilicet quod quaelibet istarum causarum existens in dispositione in qua
 nata est effectum producere, necessario producit effectum: ut causa ut in
 pluribus, cum non est impedita, quamvis in potentia sit ad hoc quod non
 producat effectum eo quod impedibilis est, ipsa tamen non impedita non
 est in potentia ad hoc quod non producat effectum cum non impedita est.
 Sic dicit ARISTOTELES *1^o Caeli et mundi*, quod sedens, cum sedet, habet
 potentiam ad ambulandum; non tamen habet potentiam ad ambulandum
 cum sedet. Est autem praedicta propositio intantum vera quod qui
 eam negaret necessario concederet aliquem effectum procedere a non sua
 causa, vel causam propriam in actu existere sine suo effectu. Procedat
 enim aliquis effectus a causa ut in pluribus existente sub defectu
 impedimenti. Aut ipsa, sub ista dispositione existens, est causa in actu
 propria huius effectus, aut non. Si non, tunc iste procedit a non causa
 sua. Si sic, tunc, nisi ponatur idem effectus, erit causa in actu propria et
 sufficiens sine suo effectu.

Tertio considerandum est quod tria sunt quae eadem via artant
 effectus futuros ad eventum; quorum duo sunt providentia divina et
 connexio causarum seu habitudo omnium praesentium. Et quod ista duo
 eodem modo artant apparet, quia Causa prima ex providentia sua causa
 universalis est et prima. Ergo effectus suos non producit nisi per causas
 secundas. Si igitur connexio causarum secundarum non artet effectus
 futuros ad eventum necessarium, nec providentia divina ad hoc artabit.
 Tertium autem quod consimiliter istis artat effectus futuros | ad even- f. 93^{vb}
 tum: quod omnis effectus qui fiet aut in praesentibus habet causam non
 impedibilem, aut causam ut in pluribus impedibilem, non impeditam
 tamen, aut causam per accidens sub dispositione illa in qua habet causare
 effectum, et hoc vel immediate vel per media plura vel pauciora.

Quarto considerandum est quod causa quae nata est recipere impedi-
 mentum, secundum se accepta non habet unde actu producat effectum;

90 a] interl. 94 producere] alias: quodcumque ponitur in illa dispositione add.
 99 ambulandum¹] causae add. et exp. non tamen ... ambulandum] marg. 1 eam]
 tam scr. sed corr. 6 nisi] alias: posita causa ista sub eadem dispositione add.
 11 quia] quae scr. sed exp. et marg. corr. 15 istis] et arcas add. et exp. artat]
 marg. inf.

98 ARISTOTELES, *De caelo*, I, 12 (281 b 16-17).

quoniam si sic, necessario produceret effectum, et non esset causa
impedibilis. Sed causa ista, ex hoc quod non impedita, habet unde actu
causet effectum suum; non quia remotio impimenti det ei naturam per
quam actu sit causa, sed quia est remotio alicuius quod prohiberet
naturam secundum quam ipsa est causa sui effectus. Idem intelligendum
est de causa per accidens.

Quinto considerandum est quod in praesentibus est causa in actu
cuiuslibet futuri quod eveniet, vel immediate vel per media plura vel
pauciora, ita quod in connexione causarum determinate est causa in actu
alterius partis cuiuslibet contradictionis de futuro a te imaginatae. Cuius
probatio est primo ex providentia divina, quia ex ipsa determinatum est
quae pars cuiuslibet contradictionis de futuro eveniet. Ipsa autem non est
causa aliquorum effectuum nisi per connexionem causarum mediarum.
Ergo in habitudine praesentium determinata est causa in actu cuiuslibet
effectus qui eveniet. Item, nisi ita esset, si effectus futuri in praesentibus
tantum haberent causam in potentia, et tunc si futura possent esse, nihil
tamen futurorum de cetero fieret secundum actum. Ex causa enim in
potentia tantum habet effectus quod possit esse, non autem quod sit
secundum actum. Sed tamen non omnia futura habent causam in actu
eodem modo, sed quaedam non impedibilem, quaedam autem impedi-
bilem sed non impeditam.

Sexto considerandum est quod, etsi in connexione praesentium omnia
quae fient habeant causam in actu, non tamen omnia quae futura sunt
necessario fient, sive referantur in causas particulares, sive in connexio-
nem causarum, sive in providentiam divinam. Ex hoc enim quod aliquid
est causa in actu, non est causa necessaria. Nam, cum actus determinet et
distinguat, ex hoc quod aliquid est causa determinatae partis contradic-
tionis, statim habet rationem causae in actu. Unde materia, quia
aequaliter est in potentia utrumque contradictorum, solum habet ratio-
nem causae in potentia. Aliquid autem est causa necessaria effectus ex
impossibilitate aliter se habendi ad effectum. Nunc autem simul stant
quod aliquid sit actu causa alicuius effectus, et quod possit esse non
causa illius effectus, sicut simul stant quod aliquid sit ens unum in actu et
non ens illud in potentia, et quod aliquid sit album in actu et non album
in potentia. Simul igitur stabunt quod aliquid sit causa in actu alicuius
effectus et quod ipsum non sit causa necessaria illius.

22 sic] alias: quodcumque poneretur *add.* quodcumque] quandoque *scr. sed*
corr. 26 effectus] ipsius *scr.* 33 cuiuslibet] partis *add.* 36 futuri] et *add.*
et exp.

Ex hoc apparet quod, etsi omnis effectus futurus in praesentibus
habeat causam in actu, non tamen omnis effectus futurus necessario
eveniet; sed tantum necessario evenient quae in praesentibus habent
causam necessariam non impedibilem. Quae autem in praesentibus
habent causam non impeditam actu, quia cum hoc stat quod possibilis sit
impediri, ideo quae ex causa non impedita eveniunt, non necessario
eveniunt; quamvis quae ex causa non impedita eveniunt, necessario
eveniant quando non impedita est, sicut non necessarium est Sortem
currere, quamvis Sortem currere, quando currit, necessarium sit. Eodem
autem modo dicendum est effectus futuros evenire ex causis suis
particularibus non impeditis, et ex connexione omnium causarum, et ex
providentia divina. Et ideo, si referendo ad unum istorum non omnes
effectus necessario eveniant, nec referendo ad alterum.

Advertendum autem est quod omnes effectus futuros procedere a
causis non impedibilibus tollit arbitrii libertatem, quia voluntas, si ex
causa aliqua moveatur ad volendum aliquid et causa illa non impedibilis
sit, idem necessario volet et resistere non poterit; non habebit igitur
arbitrium liberum.

Item, frustra fieret consilium contra quaecumque ventura. Ex quo
enim causae omnium futurorum non impedibiles essent, nihil valeret
consilium ad impediendum causas quin effectus suos producerent. Et ex
hoc patet quod istud tolleretur punitiones fieri debere, et retraheret ab
actibus bonis; quae omnia sunt contra fidei veritatem et contra
ARISTOTELIS intentionem.

Sed quosdam effectus futuros fieri a causis non impeditis, impedi-
bilibus tamen, non tollit arbitrii libertatem si recte intelligatur. Non enim
voluntas sic libera est quod sit causa prima sui velle; immo necesse est
eam moveri ex aliqua apprehensione. Nec est sic libera quod, praesente
volito ipsi voluntati, et ipsis existentibus in dispositione in qua hoc
quidem natum sit movere, illud autem moveri, possit voluntas velle vel
non velle indifferenter; immo necesse est eam velle ut sic existentem. Sed
est voluntas libera quantum ad hoc quod ipsa a nullo potest moveri quod
non sit impedibile, et etiam quandoque actu impeditum. Sic tamen non
est de iudicio sensibilium: visus enim, apprehendens album, non potest

60 quae] tantum *add.* 65 necessarium] necessariam *scr.* 74 sit] alias: quandoque
movebitur et ex causa illa *add.* 76 fieret] fierent *scr. sed corr.* consilium] contra
filium *scr. sed exp. et marg. corr.* 82/83 impedibilibus] impredientibus *scr. sed exp. et*
marg. corr. 83 recte] recta *scr.* 85 quod] pro *scr.*

iudicare non album, et hoc si fuerit sensatio albi, ut in *IV*^o habitum est.

Item, effectum procedere a talibus causis non tollit consilium. Cum enim aliqui effectus futuri fiant a causis a quibus, quando non fuerint impeditae, necessario proveniunt, tamen cum impedibiles fuerint, quaerendum est consilium ad eos impediendum.

Sed cum omnes effectus futuri ordinati fuerint a providentia divina, estne quaerendum consilium ad impediendum providentiam divinam?

Item, superius dictum est quod ex connexione causarum in entibus, cuiuslibet contradictionis de futuro altera pars determinate in praesentibus habet causam in actu. In praesentibus igitur determinatum est vel quod ego bonus approbandus vel malus reprobatus. Frustra igitur f. 94th studebo bene aut male | facere.

Ad primum dico quod non est studendum ad impediendum providentiam divinam, sed magis ad eam explendum. Unde, cum <non> magis artet providentia divina effectus futuros ad eventum quam connexus causarum vel causae particulares non impeditae, sicut non est quaerendum consilium ad impediendum causam non impeditam quando non impedita est, ita nec ad impediendum providentiam divinam; quamvis, cum causa ista necessario producat effectum quando non impedita, ipsa tamen impedibilis est, ideo ad eum impediendum quaerendum est consilium.

Ad aliud, dictum est superius quod, etsi cuiuslibet futuri in praesentibus sit causa in actu, non tamen quaelibet causa in actu est causa necessaria: sunt enim multae impedibiles. Et ideo studere debet unusquisque ad hoc ut fiat bonus, ut suo diligenti studio impediat aliquas causas particulares impedibiles quae facerent ipsum malum nisi impedirentur. Si omnes causae non essent impedibiles, nostrum studium non valeret.

Ad rationes respondendum est.

1,2 Ad illas de connexione causarum apparet solutio ex praedictis. Quamvis enim a causa necessario eveniat effectus quando non impedita est, a causa tamen non impedita non necessario provenit effectus, eo quod ipsa impedibilis est, quamvis non impedibilis quando non est impedita.

94 effectus] motivi *add.* fiant] fit *scr.* 98 impediendum] impedimentum *scr. sed marg. corr.*

92 Cf. *supra*, IV, q. 36.

99 superius: cf. *supra*, p. 324, l. 28-42.

21 ex praedictis: cf. *supra*, p. 324, l. 43-325, l. 70.

3,4 Ad aliud quod arguitur de providentia divina, apparet ex dictis quod providentia divina non alio modo artat effectus futuros ad eventus quam connexio causarum; et ideo, si ex connexione causarum non eveniant omnia necessario, nec ex providentia divina. Sed cum providentia divina sit infallibilis, quid in entibus respondet infallibilitati eius? Dico quod non eventus necessarius omnium effectuum futurorum; sed huic infallibilitati respondent aliqua duo impossibilia aliter se habere: quorum unum est causae in actu in praesentibus determinatae omnium eorum quae evenient, et ceterum quod causa non impedita, quamvis habet potentiam ut impediatur, non tamen habet potentiam ut impediatur quando non impedita est.

5 Ad aliud de praescientia divina dicendum quod infallibilitati praescientiae divinae correspondent duo praedicta. Et tertium adici potest, et quod futurum, quando est, necesse est esse; futura autem cernit Deus tamquam praesentia. Est autem notandum quod praescientia hominis de aliquo futuro artaret ipsum ad eventum necessarium; praescientia autem Dei nequaquam. Cuius ratio est quia praescientia hominis non potest esse nisi alicuius futuri necessarii; tale autem necessario eveniet. Praescientia autem Dei est et futurorum contingentium et necessariorum.

x = study, but very hard!

26 arguitur] de *add. et exp.* 26/27 de providentia ... quod] *marg.* 27 non] in *add. et exp.* ad] et *scr. sed exp. et interl. corr.* 28 quam] et *scr.* 30 infallibilitati] infallibilitate *scr. sed corr.* 31 non] *interl.* 32 aliqua] alia *scr.* 40 praesentia] principium *scr. sed exp. et marg. corr.*